

DE LAPIDE
PHILOSOPHICO
TRACTATUS GE-

MINI,

Prior, Anonymi,
Posterior, Pauli Eck de Sultzbach,
scripti

AD VIROS MAGNIFICOS, NOBIL-
issimos, ac clarissimos,

DN. BERNHARDVM G. PENOTVM à Porta
S. Mariæ Aquitanum, & DN. NICOLAVM
BERNAVDVM à Crista Arnaudi Delphinatem,
Medicos & primarios Philochemiæ
Mystas editi

à

IOACHIMO TANCKIO *Perlebergense Philoso-*
phia & Medicina Doct. ac Professore in Aca-
demia Lipsiense.



FRANCOFVRTI,
Typis MATTHIÆ BECKERI:

M. DC. IV.



VIRO NOBILISSI-
MO, ET CLARISSIMO; CHE-
miatroque experientissimo, Dn. BERN-
HARDO G. PENOTO à portu S.
Mariæ Aquitano,
S. P.



*NOCTVAS Athenas, inquires,
vir excellentissime & doctissime,
ubi hasce de lapide Philosophico
pagellas videris; qui ad unguem
tenes, qua de eo tota antiquitas li-
teris mandavit. Sed esto! Quemadmodum enim hoc
nomismatis genus nullibi vulgatius. & in emptio-
ne ac venditione magis in usu fuit, quam Athe-
nis: Sic nullibi artes in maiori precio & honore es-
se solent, quam Athenis, apud illos nimirum, qui
eas amant; colunt & admirantur. Inscripti ideo
tuo nomini tractatum hunc priorem, cum ob has
tum alias causas. Quemadmodum enim olim in
ade Palladis composita pace arma suspendebant*

milites: Sic in tuo $\chi\epsilon\mu\iota\tau\alpha\rho\epsilon\iota\omega$ eum suspendo, cui in
 tuo Museo locum etiam concessurum te esse, non
 diffido. Tua deinde me inuitat & humanitas &
 liberalitas, illam predicat, qui te familiariter vsi
 sunt: hac ex scriptis tuis in communẽ usum prom-
 ptissimo studio in publicum emissis nota est doctis
 omnibus. Veteres enim Philosophi Philochemi-
 am anigmati & parabolis inuoluerunt, quorum
 volumina etiam si diligenter & attente euoluan-
 tur, magis tamen incertus ab eorum lectione abi-
 bit, quam cum primum ad eam accesserit lector.
 Immortales igitur tibi debent Philochemici gra-
 tias pro claritate illa perspicua, quam hac ars abs-
 trusa per te accepit: lucem das ex fumo, quam in-
 ducto fumo alii obtenebrarunt. In meis præterea,
 venerande senex, votis & hoc est, ut nomen me-
 um (nec enim te id aspernaturum confido) in
 numerum amicorum te colentium & admiran-
 tium, referre non dedigneris. Nihil quidem ego
 de me, officiisque meis polliceri habeo: atta-
 men Tanckium habebis virum bonum, te colen-
 tem & amantem.

Postremo non minus tecum ipse ad commu-
 nem hominum utilitatem & salutem spagyricam
 artem propagari ad posteros percupidus sum. Illud
 etsi à me præstari nondum queat; tu tamen cum
 aliis

DEDICATORIA.

aliis viris praestantibus ut grauius id facias Philo-
lochemia dediti studiose petimus. Vale vir opti-
me & viue longauam vitam, Lipsia Calend. A-
prilis Anno 1603.

T. Ex.

Stud. col.

Ioachimus Tanc-
kius D.

43

Letto

LECTORI FACILI

Et æquo.

D Vohi tractatus in antiquis mem-
 branis exarati, lector beneuole,
 cum ad manus meas ab amicis
 admissi peruenissent, dignos eos iudica-
 ui, quos publici iuris facerem, in gratiam
 præsertim eorum (imperitos enim & o-
 iores donorum DEI non moramur) qui
 Chemicam artem amant & exercent.
 Sunt enim à veterum doctrina non alie-
 ni: Verum sagacem lectorem, quemad-
 modum Philosophorum scripta omnia
 requirunt. Nihil vero in illis immutare
 volui nec debui, sed quemadmodum scri-
 pti erant, ita prodeunt: Nec verba, sed res
 æstimabis. Priori tractatui nomen ad-
 scriptum non erat, ex quibusdam tamen
 indiciis coniiicio, cuiusdam monachi factum
 esse. Posteriori nomen autoris præ-
 fixum est: Qui vero Paullus ille fuerit,
 mihi non constat, neque ex illis, à quibus
 mihi communicatus fuit, id cognoscere
 potui. Tu lector æque, boni consule, &
 nostris conatibus faue: breui Pharmacur-
 gis,

gis, Cheirurgis, & Chryrurgis non inutilis
à me expectabis, qui author fui Dn. Ioan-
ni Tholdio Senatori & Camerario Franc-
kenhusano, affini meo colendo, vt Fr. Ba-
filii Valentini scripta in communem v-
sum publicaret, quæ propediem in lin-
guam latinam conuersa dabimus: Idem
quoque meo instinctu, cum sua tum alio-
rum ad Chemiæ artem plurimū facientia,
in publicum deinceps emissurus est: Tu
modo lector faue & vale. Lipsiæ Calend.
April. Anno 1603.

Ioachimus Tanckius Per-
lebergensis Phil. & Med.
D. Anatomes & Cheirurgiæ
Professor publ. in A-
cademia Lipsiensi.



TRACTATUS

PHILOSOPHICVS AD RY-
brum & album Ano-
nymi.

PRIMO parabis tibi ad sequentes vsus
geminas aquas, aliam ad Rubrum, &
aliam item ad album, hoc modo.

Aqua ad Aurum.

Accipe vitrioli vngarici cerulei & bene desic-
cati, salis petra, singulorum libras quatuor, salis
armoniaci libram vnā. Fiat aqua fortis in vase
fictili, cum Alembico vitreo bene lutato, adhibito
primum lenito igne: postea mediocri, demum for-
riori: Facta distillatione, collige, qua in Recipiente
sunt, & reserua in vase vitreo bene obturato: si-
gnetur; Aqua ad Aurum.

Aqua ad argentum.

Accipe salis petra, aluminis viti, salis tartari
& salis gemmae ana partes aequales, vitrioli ceru-
lei bene desiccati partem semis; Fiat aqua fortis,
precedenti modo; Et signetur; Aqua ad Argen-
tum.

Præparatio Solis ad opus.

Accipe aurum hispanicum septies purificatum, aut per magnum cementum, aut per Antimonium, ut sciunt boni aurifabri facere, & laminetur in tenuibus bracteis, uti pergamentum, proice in duplum sui ponderis aquæ separationis, ut dissolvatur, ut remaneat in fundo aquæ, ut arenula rubea. Euapora aquam prædictam per distillationem quousque solum aurum in fundo remaneat, post abluere ipsum cum aqua communi & clara, usque quo nullum gustum in eo senseris de acredine aquæ fortis, & si non est impalpabile, dissolve iterum in aqua prædicta, abluere & desicca, ut prius fecisti, usque quo reddideris impalpabile.

Quomodo calcinatur sol.

Accipe tuum aurum sic impalpabile præparatum, ut supra, & conterere cum duplici suo pondere salis communis bene præparati, & pone ipsum super verum marmor, aut (quod melius erit) tabulam vitream, & simul conterantur, quoad totum aurum bene cum sale permixtum fuerit, tunc pone in vno crucibulo in igne forti, & calcinetur optime, postea dimitte infrigidari, aut infunde in aquam communem, & aqua accipiat in se sal prædictum, Remanens aurum tuum in fundo vasis lœua, sic iterum atque iterum tam diu, quod nullum

gustum salis habeat, & habebis aurum tuum calcinatum. Nota tamen, quod si bis aut ter calcinaueris, melius erit.

Lunæ præparatio.

Purgetur optime per balneum Saturni, ut moris est postea laminetur, ut de auro dictum est, & ponatur in duplici suo pondere aquæ separationis prædictæ, & quando videbis totum esse ab aqua prædicta consumptum, euapora aquam per Balneum Maria: Deinde per calorem validiorem, quoad argentum solum remaneat in fundo, post abluè cū aqua communi, & erit satis præparatum, & subtile ad calcinandum.

Calcinatio Lunæ.

Accipe tuam lunam sic impalpabilem, & contere cum sale communi, sicut fecisti in tuo sole calcinando in omnibus modis, & habebis probe calcinatam ad opus.

Quomodo præparetur Mercurius vulgaris, ut fiat Mercurius aptus in hoc opere.

Accipe vulgaris Mercurii libram semis, & fac bis aut ter transire per corium. Deinde accipe salis marini puluerisati uncias duas, ponatur cum Mercurio tuo in mortario ligneo, aut in scutella lignea satis ampla, & simul cum modico aceti acerr-

cerrimi cum pistillo ligneo fricetur, donec mercurius tuus fuerit mortificatus. Postea accipe libram semis vitrioli ungarici & salis communis uncias duas, misce simul cum tuo mercurio, & ponatur in distillatorio vitreo, cum suo alembico bene lutato, & lento igne destilla totam humiditatem superfluum, & collige aquam, qua exierit; Nam tibi seruiet loco aceti acerrimi ad sistendum mercurium. Post quando materia tua erit probe ab omni humiditate destituta, ponatur in sublimatorio bene lutato, quod debet esse duos paruos digitos altius, quam tua materia, & quando incipit sublimari, obtura collum sublimatorii cum papyro simpliciter aut cum linteolo gossipio impleto: Hoc facto pone tuum sublimatorium super furnum, super quod fuerit vas aliud cineribus plenum, & applica tuum sublimatorium super furnum in dictis cineribus, eo, ut duobus digitis materiam tuam excedant. Deinde fac paruum ignem per sex horas: Deinde fortifica paruum ignem gradatim (paucò à paucò) & in primo videbis mercurium tuum sublimari, ut ros albisimus, & vi ignis finaliter erit sublimatum: dimitte sublimatorium infrigidari, post frange aut aperi vas & collige sublimatum prudentissime, & serua absque sordibus.

Reiteratio sublimationis.

Accipe tuum sublimatum, & iterum adiunge illi paulo minus vitrioli & salis communis cum aqua predicta, aut si non collegisti cum aceto forti, sicut prius dictum est, & iterum in eodem predicto processu sublima, sublimatum & refrigeratum collige prudenter, ut dictum est.

Tertia, quarta, quinta, sexta, & septima sublimatio.

Sublima iterum atq; iterum septies modo predicto & satis erit sublimatum. Antequam aperias sublimatorium, dimitte infrigidari, quia fumus valde nociuus est.

Nota bene.

Opus est in hoc opere, habere materiam aliquã ex qua possint vasa lutari, tam ut resistere possint violentiæ ignis, quam ut spiritus retineantur, ne euaporent.

Lutum primum optimum, quod Philosophi nominant, lutum sapientia.

Accipe terra fictilis optima, qua possit sufferre ignem, partes quatuor, Rasura linteorum, salis communis, ana partem vnã, Boli armeni partes duas, cum aqua communi, fiat pasta tenuis satis munda, ad incrustandum vasa.

Lutum

Lutum aliud, ex quo lutantur iuncturæ vasorum.

Accipe farinam frumenti subtilissime attenuatam, impasta cum albumine oui & sale communi, & habebis lutum optimum, ex quo poteris linteolum ungere ad imponendum iuncturis vasorum. Hoc lutum poteris auferre, si madefeceris probe dictos linteolos aqua communi calida.

Sequitur opus ad solem.

Accipe de sole tuo probe affinato & calcinato unciam unam, diuide in octo partes æquales. Postea accipe uncias tres tue aquæ fortis ad solem parata, & pone in ambullam vitream, post proice in ipsam octauam partem tui solis, & dimitte sic stare in loco admodum fumi calido, donec tuus sol optime dissolutus fuerit, quo factò proice aliam octauam partem tui solis reseruati, & dimitte prædicto modo etiam dissolui, & sic de aliis partibus. Caue tamen, ne aliqua pars tui solis in prædictam aquam proiciatur, antequam hoc, quod prius posuisti, probe dissolutum fuerit, & si fortasse videris aquam tuam non amplius posse dissoluere, effunde ipsam per inclinationem in aliud vas, ita ut tuus sol indissolutus in fundo primi vasis remaneat, infunde de super de tua aqua prædicta, usq; ad ipsius dissolutionem, & semper in eodem processu fa-

cies,

cies, vsq; habeas tuam unciam solis bene & probe dissolutam, & in aquam versam, quam aquam serua seorsim diligenter.

Inspiratio Mercurii.

Post recipe de tua aqua libram vnam & de tuo Mercurio sublimato, probe puluerisato uncias quatuor, fac ex ipso etiam octo partes aequales, sicut de tuo sole fecisti, & tene eundem processum sicut de tuo sole fecisti, quando omnis mercurius dissolutus fuerit, reserua etiam seorsim.

Nota.

Quod si metalla calcinata aquis tuis non possunt dissolui, adde tantum salis armoniaci aquae tuae (paucò à paucò) quantum necessitas videbitur postulare, ut operentur.

Inceratio & animatio Mercurii.

Accipe tuas aquas mercuriales & pone in Alembico optime lutato, cum suo recipiente, & pone in Balneum Mariae & igne lento dimitte tam diu distillare, quoad tota humiditas aquea stillauerit, quam serua separatim, tunc auge ignem, & exhibit spiritus Mercurii, aut sua quinta essentia, auge adhuc sub fine ignem, ut tota essentia sublimetur. Caue tamen, ne ex vaporosa & venenosa exhalatione ledaris. Quando totum sublimatum fuerit,

sine

sine sublimatorium in frigidari, post aperi vitrum tuum, & totam essentiam mercurialem sublimatam collige, pondera & inuenies vnciam semis aut plus diminutam.

Nota, quod feces debent seruari, tam de ista actione, quam de aliis sequentibus.

Secunda operatio.

Dissolue iterum in aqua forti & dissolutum eodem dicto processu distilla aquam, & sublimatum ipsum.

Tertia operatio.

Iterum tertio reitera eodem modo, & semper reseruando feces: Animaduertas, quod sic Mercurius tuus sit in excellentissimo gradu aduectus, tamen non omnino fixus.

Sublimatio vltima, quæ est principium fixationis.

Desicca lento igne, aut in furno mediocriter calido prædictum spiritum Mercurii nostri, per duos aut tres dies naturales. & post ponatur in vitro habete longum collum probe obturato cum suo alembico, & da ignem lentum sicuti balneo Maria (paucò à paucò) vsq; videris ascendere, tunc gradatim fortifica ignem, quousq; totum, quod possibile erit, ascendat. Caue tamē ne nimio igne opus destruat.

itur. Quod si feces remanserint, serua etiam separatim, sicut antea dictum est.

Secunda operatio fecum.

Accipe omnes istas feces reseruatas, & superpone triplum de aqua forti, digerentur in vase vitreo optime clauso in calore mediocri, tã diu, quoad omnes feces sint dissoluta, tunc per inclinationem caute distilla, quod clarum & purum videris, ab impure. Post si videris adhuc non omnino esse solutas pone iterum de super de tua aqua forti quantum videris esse necessarium ad dissoluendum, & poteris ter reiterare, vsque tota illa materia soluta fuerit, post tertiam solutionem & separationem dicta substantia factam, si adhuc aliqua feces remanserint, debes eicere sine cura. Vt materiam inutilem, reserua tamen istas dissolutiones, quas separasti per inclinationem ad opus sequens, quia est pars Mercurii nostri iam semifixa.

Tertia fixatio.

Accipe illam aquam, quam per inclinationem separasti & destilla toties, quoad consumpta fuerit remanentibus tamen fecibus suis, modo tamen quod inter omnes distillationes tantum interualum debet esse, quoad materia in aquam suam soluta fuerit, quod si aqua debilitatur ad dissoluendum, accipies aquam nouam, ut melius soluatur mate-

ria. In fine videbis eam dealbari sicut cineres: Postea quando materia exsiccata probe fuerit, tunc in furno primo mediocri igne, post valido, in fine validiori, non tantummodo siccatur, sed magis & magis dealbatur ac figitur. Serua in loco nitido, & bene obturato.

Humectatio Mercurii prædicti.

Accipe tuum Mercurium prædictum in spiritum & pone in vase vitreo bene obturato, & sepeli in fimo calido, aut in humido loco, ut seipsum humectet.

Inceratio solis.

Accipe tuum solem dissolutum cum aqua forti, ut supra, & euapora totam aquam per balneum Mariae, demum remanebit aurum tuum in fundo, sicut cera liquefacta, pone de super aliã aquam novam, & iterum euapora usq; ad tres vices, & habebis post tertiam extractionem oleum solis valde rutilans.

Accipe terram tuam prædictam, & pondera & pro una parte sui ponderis, accipe partem quartam Mercurii inspirati, & supra tabulam marmoream aut vitream probe misceantur, & ponantur simul in vitreo vase ad ignem, primo valde lentum, secundo fortiolem ad desiccationem usq; & tunc adde de tuo oleo solis, quartam partem vel circa mer-

curii inspirati, post ex foco paruo condiantur vsque ad desiccationem: demum adde adhuc pari pondere tui mercurii inspirati, ut fecisti, & probe terantur & misceantur, & nutriantur simul igne lento ad desiccationem vsq^z, & etiam cito quod videbis desiccatum, ut bis prius fecisti, adde etiam oleum solis predictum pari proportione: Demitte simul condire & desiccare, & pari processu tenere debes, quousq^z terra tua, tui mercurii inspirati absorpserit omne oleum tuum solare.

Sequitur fixatio vltima.

Post accipe totam materiam tuam valde preciosam, & pone in vase vitreo sublimatorio, & de primo letum ignem, post validiorem, quod si aliquid sublimetur, demitte infrigidari, & quod sublimatum fuerit, incorpora cū suo corpore, & iterū sublima, donec amplius nihil sublimatur, etiam si igne validissimo, tractaueris. Noli tamen materiam tuam deponere ab igne, quousq^z videbis probe coctam purpurei coloris & bene fixam.

Proiectio.

Post accipe granum vnum, & proiice supra granorum centum mercurii crudi calefacti, tunc da ignem mediocrem, post fortem, quarta quoq^z hora vel circiter & veniet in verum germen auri, friabile tamen & fusile: de quo accipe granum vnum
& pro-

& proiice super alia centum grana Mercurii crudicalesfacti, & erit aurum malleabile & purissimum ad omne examen.

Operatio lunaris.

Quoad operationem lunarem attinet, dempto, quod loco solis debes in tuo opere uti luna preparata, & tantummodo operari, cum aqua tua predicta, cū tuo Mercurio viuificato ad album, quousque perueneris ad veram fixationem & colorem candidissimum.


Oportet in omnibus operibus esse prudentem, diligentem & patientem & expectare veras fixationes & colorationes, quæ successu temporis infallibiliter succedunt; Cautus etiam esto in projectionibus tuis, & habebis præ manibus thesaurum immensum, quo utere ad laudem Dei omnipotentis, & ad consolationem pauperum Amen.

CLAVIS PHI-
LOSOPHO-
RVM,

PAVLI ECK DE
*Sultzbach, qui vixit Anno
Christi 1489.*

EDITA OPERA

IOACHIMI TANCKII
Philosophi & Medici.



Anno M. DC. III.

**NOBILITATE ET ER-
YDITA DOCTRINA VIRO EX-
cellentiss. Dn. NICOLAO BERNAUDO à Cri-
sta Arnaudi Delphinati Gallo, Medico &
Chemico præstantissimo.**



VÆ consilii mei ratio fuit, vir do-
ctissime & clarissime, vt priorem
tractatum de lapide Physico, cla-
rissimi viri Dn. Bernhardi G. Penoti à Por-
tu S. Mariæ Aquitani nomine in publicũ
emitterem, eadem quoque me impulit, vt
posterior tui nominis auspicio lucem vi-
deret. Ex scriptis enim vestris intellexi,
vos indiuiduos comites & socios excolẽ-
dæ & propagandę artis Chemiæ iam mul-
tos annos fuisse, atq; tantum lucis & incre-
menti Philochemiæ attulisse vtrumq;, vt
quæ prius Apollinis oraculis intricatiora
& obscuriora fuerunt, vestris studiis & il-
lustrationibus iam clarissima facta sint.
Nec sane inficias eo, imo libenter fateor,
animum meum assidua vestrorũ scripto-
rum lectione ex multis perplexis labyrin-
this expeditum fuisse, & quos scrupulos a-
lii Philosophi eximere non potuerunt, o-
peve-

pe vestra exemptos & penitus sublato esse. Quibus igitur, quam ipsis artificibus hos tractatus inscribere debui aut potui? Nā cum nemo de artibus, quam artifices iudicare possint melius, limato vestro iudicio eos subiicere volui. Quibus si aliqualem in tua Bibliotheca locum dederis, meque inter tuos amicos numeraueris, iam pro voto & animi mei sententia id sum consecutus, quod maxime exoptaui. Lipsiæ Calend. Aprilis Anno 1603.

T. Ex.

Stud. C.

Ioachimus Tanchius D.

b 4

CLA-

CLAVIS PHILOSOPHORVM.

LVDVS PVERORVM ET LABOR
mulierum.

PAVLVS ECK DE SVLTZ-
bach, Anno 1489.

SOLVE unum lotonem luna in duobus
lotonibus aquæ fortis: Tunc accipe octo
lotones Mercurii viui, & quatuor vel
sex lotones aquæ fortis, funde simul in lunam solu-
tam, loca in cineres lentos, aut omnino frigidos: In
principio videbis mirabilia: Quod est principium
Mercurium figendi aut precipitandi. Geber di-
cit, partem fige, partem ad incerandum serua.

Proprietas huius operationis.

*In copulatione aquarum, aquæ primo aliquan-
tisper turbatur: sed postea bene unita, serena ef-
ficiuntur. Secundo in arena frigida materia eleua-
tur in delectabilissimas excrescentias, monticulos
& arbuta, & subito mouetur & viuit, & manet
in colore metalli, præcipue quando aquas effundas
& simplicem aquam superfundas, postquam arbu-
ta creuerunt. Tertio, hæc materia in triduo plus
indu-*

induratur valde & lento calore. Quarto non separantur spiritus neq³ ascendunt, quia aqua impedit ascensum. Si vero aliquid ascendit, ad aqua superficiem coagulatur, & in forma lamina iterum descendit. Quinto fermentum per medicinam vnitur spiritui: corpus in primam materiam reducitur, id est in aquam propinquam, id est in Mercurii principium fixationis & Mercurii precipitationis. Effundatur igitur aqua à monticulis & siccentur lente, & terantur & ponantur in vas Wallenburgenſe sub ducillo & throno, & primo ascendet aqua vulgi superflua. Aperui & volui sublimata reducere superfundalia: sed vidi quod impetuose sursum fumavit in vase una cum spiritibus aqua fortis: Mox iterum cooperui cum ducillo & throno & dimisi sic stare per noctem, ut sublimata igne suo superius figerentur: Et hoc factum est sequente die. Rursum eleuata reduxi ad fundum cum leporino pede deponendo, & illic manserunt pro maiori parte rubificati & fixi. Sed vas interius supra cineres fuit rubrum, in medio citrinum, & superius circa ducillum glaucum: Sed tandem ubiq³ rubificatum, Et vesperi factus est dies secundus, videlicet sabbati post Inuocavit. Permissi stare vsq³ in tertium diem dominicam, scilicet Reminiscere, & obtinui ab uno lotone Lu-

na & octo lotonibus mercurii, ut supra, quatuor uncias optimi præcipitati & fixi; drachma una & pene semis. quod erat nigrum circa ducillū, quod tanquam inutile reieci.

His itaq; expertis, sic visis, solui 6. lot. luna & 48. lotones Mercurii in cucurbita & misi crescere in arena frigida, et crevit in una hora mirabili dispositione, & dimisi per triduum in lento calore, tandem effudi aquam & exposui excrescentias & totam materiam, simul exsiccaui in testa vitrea, contriui & cū præcipitato ut supra cōiunxi. Sic in cepi cum 7. loton. luna, à quibus consecutus sum 7. lot. præcipitati finaliter, ut infra, luna iterum deposita, quia in solo mercurio ars consistit, secundum Gebrū Imposui ad fixandū, sabbato ante Palmarū. Primo ascenderūt multi spiritus aquæ fortis, Tercio die exposui & contriui & fuit in fundo adeo cōpactum & durum ut vix exponere potuerim: Iterum imposui feria secunda Palmarum, & stetit ad feriam quartam; tunc iterum cum difficultate exposui, & in supremo ad spissitudinem digiti fuit rarius & minus tinctum: Illud posui in fundo & quod magis fixum & tinctum superius, tunc ascendebat ad ducillum nigrum & aliquod viuum: Hoc continuo deposui tanquam ineptum fixationi & magis aquaticum; tandem parum ascendit &

dit & magis declinabat ad album, scilicet fundalia caperunt magis rubificari. similiter vas in fundo. In vigilia Pasche tertio exposui, & fuerunt optime tincti in modum cinabaris precipue in fundo, & erant sicciore plus fixi & libenter exiuerunt.

Iterum imposui post contritionem & bonam permixtionem: steterunt iam octo dies. Feria secunda post Quasimodegeniti iterum exposui, & inueni superius Amalgama, quod creuit & fuit metallicum satis compactum, & inueni de Mercurio viuo lotonem & semis: Contrui & iterum imposui, stetit modo sedecim dies; & non fuit equaliter tinctum, sed superius mixtum glaucedine, inferius in modum optimi cinabaris.

Posui mercurium viuum in fundum & postea pulueres equaliter mixtos, conclusiue in octodecim diebus, à ludo puerorum figitur & equaliter rubificatur, aut citrinatur in tertia hebdomade semper sub throno & ducillo: & vnus loto luna dabit sex lotones cinerum fixorum complete, obrinuit enim cum septem loto. luna viginti quinq; lotones cinerum rubeorum fixorum: sic ab vno lotone luna & octo lotonibus Mercurii perduntur duo lotones Mercurii quasi, &c.

Augmentatio cinerum.

Imposui quinquaginta duos lotones Mercurii fixi cum viginti sex lotonibus Mercurii distillati, videlicet medietate illius: exposui sabbato post Quasimodogeniti & inueni duas libras & unum lotonem optimorum cinerum adeo durorum, quod vix exponere potui absque vasis lesione, quod totum fuit massatum in modum mineræ coloris subfusci, declinantis ad albedinem. Iterum secundo addidi triginta septem lotones Mercurii. Nota hic primo impone Mercurium, & postea cineres imbibunt Mercurium, relinquitur in fundo concavitas, ubi iacuit mercurius, & cineres coagulantur in loco proprio. Exposui feria quinta post Misericordias Domini, & fuit bene massatum: Inueni de fixo tres libras duos lotones & de viuo duos lotones, quibus addidi sesquilibram, & erat tertia inhibitio; Summa quatuor & dimidia libra, duo lotones. Post dies octo exposui & diuisi in tria vasa, & in quolibet addidi de viuo octodecim lotones: summa omnium, sex librarum octo lotonum. Exposui post quinque dies & inueni quinque libras & tres lotones fixi, non tamen omnino sicci, & de mercurio viuo unam libram quinque lotones: summam sex libras, octo lotones. Inueni Marcam optime amalgamata in fundo vasis generatam, in qua luna à cineribus erat

erat separata, ut dixi, oportuit igitur frāgere vas, alias non potui exponere Amalgama. Nota ex siccis cineribus forti igne extrahitur amalgama, quando libuerit cum receptaculo suo de Mercurio sub canna. Imposui illud amalgama prius bene tritum & lotum, & abstraxi Mercurium ad thronū & re inueni septem lotones ipsius luna & unam drachmam, ut supra dictum. Sic separata & luna à cineribus, & marca una ex illa luna continet dimidium florenum auri, sicut probaui in aqua forti: Post sextam augmentationem amplius non recipit incrementum, sed cupit ad plenum fixari, ut infra patebit. Nota quod semper post quatuor dies exponatur & conteratur, & volatile ad fundum ponatur. Quatuor vasa comprehendunt sex libras quæ in diebus octo augmentantur tribus libris. Si vero post quatuor dies exponis, ut supra, capias rarum in superficie seorsim & contere: similiter durum & magis fixum in fundo seorsim: Tunc primo impone Mercurium viuum, postea rarum & in fine densum: In sex imbitiōib. inueni octo libras & septendecim & dimidium lotonem cinerum siccorum & in qualibet libra volatile: sed finaliter post debitam fixationem manent tandem septem librae & residua deponuntur in fixatione ut infra.

De totali fixatione Mercurii
præcipitati.

Postea fortiori igne degerantur & semper post quatuor dies exponantur, & fundalia omnino sicca & fixa auferantur & seorsim in vas speciale simul reponantur, tunc mercurius viuus à superioribus domatur & non reimponatur, sic continua donec cineres in toto siccentur & figantur: Horum ex septem lotonibus luna ut supra, obtinui septem libras, ut dictum est.

Secretum magnum, quando non plus augmentantur aut pro libitu augmentasti & fixasti tunc serua quatuor libras pro fermento, & residuum iterum reuiuifica: postea iterum fige. Sic iterando seorsim pone ad sublimationem magnam absque volatili, & materiam in fundo reuerbera, solue & coagula & reitera & fermentum serua in quo fige volatilia & erunt alba: Et quando tunc debet fieri volatile, tunc non ascendit sed in fundo fluit. Nota quando cineres in proportionato igne cum aquis fortibus imbibis bene & in iis potes prius soluere Mercurium mundum: solem & lunam, aut recipe aquam fortem in qua prius est solutum argentum. Ecce continua fermentationem & postea eadem corpora perfecta in sublimatione magna continuo fiunt volatilia, ut supra, &

per-

peragis opus tribus diebus. Sublimatio magna facit fixum volatile : In ea copulantur tres partes volatilis cum vna parte fixi, aut plus secundum dispositionem cinerum leuandorum, & quod in fundo manet & non leuatur ipsum iterum cum æquali parte leuabis: Et quod omnino non potest leuari pro terra nostra cruda & mortua seruabitur. Corpus enim non sublimatum absque spiritu neque absque corpore spiritus figitur.

Accepi octo lotones fixissimorum cinerum ad omnem ignem & libram vnā Mercurij bene animati, & sublimauī totū præter duas drachmas: Deo sit Laus. Pro magna, pro maxima recipiatur ad vnā pixidem vna marca fixi & due libræ volatilis, Ferrariensis volat cum volantibus, quiescit cum quiescentibus.

Reuiuificatio cinerum fixorum.

Vltimo cum tam multum habueris Aquæ quam multum requiritur : Tunc recipe vnā marcā cinerum fixorum & duas libras Mercurij crudi aut bene animati, quod melius est; sublima tunc : Iterum recipiatur vna marca cinerum fixorū & sublimetur cum duabus libris, vt supra Mercurij animati. Sic quater reiterando:

tunc

tunc includentur duæ libræ cinerum fixorum in duabus libris mercurii, summa 4. lib. quasi. Has quatuor libras adhuc semel sublima per se, & erit Mercurius bene mundus & animatus. Hunc mercurium pone ad ignem decoctionis per diem unum aut tres, & generabuntur cineres noui, glauci, apertissimi: Hos siçe suo tempore & igne, quos in posterum augmentabis, more, ut supra in perpetuum.

De aqua anima a.

Hac elicitur à cineribus fixis per sublimationem magnam, & oportet habere multum ne tandem indigestum digesto addatur: Sed non potest haberi multa absq; cinerum augmentatione. Seruetur aqua animata in pixidibus Wallenburghensibus & ad quãlibet schedulam pone, quoties animata sit: Quæ quanto plus soluta & coagulata, tanto melius & plus animata: sit ad minus ergo quater animata. Optima proba sufficientis preparationis aque, quando in sublimatione magna non procedit plus, aqua optime ut ante sublimationem magnam mercurii cum cineribus fermentatus sub canna ad 24. horas, tunc spiritus prius unitur corpori: Imponatur primo mercurius postea cineres, mercurius primo incorporatur illis, postea leuatur.

Augmentatio cinerum.

Recipe cineres & adde duplum vel triplum
Mercurii

Mercurii & pone sub ducillo & throno ad ignem fortem per diem & noctem; tunc recipient ad se mercurium, tunc lento igne effunde residuū mercurii & repone ad siccandum in suo igne videlicet, quod non ascendat aut parum, donec simul incineretur, & hoc fit per dies octo aut quatuordecim vel circiter, tunc exponatur donec siccetur ad quartū gradū ignis. Nota quando cineres debent augmentari Mercurio, quod prius sint bene sicci. Sunt itaq; fermentum ipsius in perpetuum.

Sulphur à sulphuribus continetur, omne siccum naturaliter appetit suum humidum: Detur ignis sua tolerantia in exsiccatione Mercurii: non separatur à cineribus nisi parum: quia si separatur, non figitur cum cineribus. Augmentū melius fit Mercurio animato ex sublimatione magna collecto. Nota quando cineres non plus volunt capere Mercurium, imbibatur semel cum aqua forti. Nota sub canna alta Mercurius bis aut ter animatus iterum redigitur in cineres. Nota Augmentū octo lotones cinerum in octo diebus ad quinquaginta lotones, semper in magno igne, actum in Nouembr. Anno 1489.


Hic nota bene, in inceratione oportet semper cū lignaculo facere foramen per cineres, alioquin totū destruitur: sic Mercurius in decoctione per idem
 c forā-

foramen libere ascendit & descendit; & nullatenus infert violentiam, sed si infundit bene in cineres, tentetur cum baculo signato an cineres luentur, an nō; Bonum est in die applicare ignem bonum & in nocte remissiozem, ut ea qua terra infixa sunt, non exeant violenter. Ecce bonum est imponere opus infusionis versus noctem, ut in die ad horas quatuor poterit habere ignem bonum pro infusione & per noctem remissiozem, ut poterit igne proportionaliter figi. Nota; imposui sedecim lotones cinerum Mercurii bene fixi & duplum Mercurii animati scilicet triginta duos ad ignem decoctione per biduum & totum fixabatur præter sex lotones, & si diutius stetisset, totum fuisset fixatum. Sequitur ergo quod mercurius animatus sic impostus ad ignem decoctionis totus figatur & incineretur in tribus diebus. Cum enim cum multo Mercurio augmentavi & cum modo videlicet dimidia parte, non satis est mirabile. & hoc est verum de omnino fixo. Nota in posui unam librarn cinerum fixorum cum tribus libris Mercurii crudi. & inuenimus die tertio post amalgama spissum, quod non plus bulliuit. Quod iterum solum impostum & bene fixabatur in triduo post igne forti. Ecce in sex diebus tali modo figitur Mercurius cum cineribus etiam crudus.

Extractio Amalgamatis.

Amalgama extrahitur à cineribus fermentatis bene fixis cum duobus & dimidiolotone Mercurii mundi sub canna longa cum igne decoctionis per diem & noctem: Quo fermentato exprime Mercurium superfluum & aqua calida post contritionem bene abluet & digere in lunam.

Conclusiue pro augmentatione cinerum.

Recipe unam libram cinerum & tres libras animati Mercurii, ponatur sub ducillo alto in furnum habentem superius foramina s. x.  sint foramina aperta, ut frequenter quatuor horis trudentur carbones cum baculo de rsum sub capella: sic totum reuiuiscat, quod cum baculo senties, tunc coagelatum ascendet ad ducillum, quod baculo deponere oportet per foramen quantum possibile est, & semper post duas horas semel, tunc Mercurius iterum descendit ad fundum & bullit, sicut ab initio. Secundo die omnia quatuor vasa imposita cessarunt feruere, & materia coagulabatur, & efficiebatur rubra, quod in baculo imposito conspiciere potuit. Sic primo cineres amalgamantur cum Mercurio, postea coagulantur & rubescunt, dimittantur sic stare donec in tali igne magno in totum figantur, & in thronum ascendet parum mercurii,

qui ibi dimittatur aut iterū imponatur: sic dimis-
 stare ad quatuor dies & inueni singula bene exe-
 cutus, superius stetit durum & conquassatum sub
 ducillo, quod vix potuit deponi, & in fundo quasi
 amalgamatum reimposui, donec sufficiēter fuit fi-
 xatum: Melius videatur, ut supra, cum duplo Mer-
 curio fixatum in totum tribus diebus: ubi dicitur,
 imposui 16 lot. Mercurii bene fixi. Nota quando
 cineres in magno igne in totum figuntur, tunc am-
 plius non possunt augmentari, ut supra, sed tunc
 exigit modus, ut sublimetur vna pars horum cum
 sex partib. mercurii, & si quid remanet, sublime-
 tur & idem ut supra, cum suo mercurio, tunc solū
 sublimatum ponatur ad ignem fortiozem sub can-
 na, & iterum decoquatur in cineres, & illi tūc pos-
 sunt augmentari ut supra, & fortius, in cineribus
 vero albis & glaucis hoc durum non habet locum.
 Imposui vnā libram mercurii saepe animati, vi-
 delicet per tres sublimationes sub ducillo ad fortem
 ignem, & in vna nocte totus est fixatus & incine-
 ratus. O quanta spes in operum reiterationib. qua-
 libet enim reiteratio efficit operationem sublimio-
 rem. O quanta gloria in sublimatione magna. Nota
 cineres quando figuntur sub ducillo ad fortem ignē
 aut temperatum oportet ut habeant secum Mer-
 curium viuū separatum, alioquin iterum omnes
 fiunt

fiunt volatiles. Et est satus mirum, sic ipsum coagulari in sua aqua, uti butyrum in lacte & aqua retinet aquam. Nota in fixatione & augmentatione cinerum mercurius primo imponatur & postea cineres scilicet, in sublimatione magna contrarium. Quanto cineres sicciore, tanto plus incorporant sibi de mercurio in magno igne. Sic q̄, in coopertorio cuiuslibet aperitur foramen vnum & foramen ianua superioris similiter & magna ianua inferior, & ille mercurius sic incorporatus in cineribus figitur. Cum iisdem in cineres, continuo scilicet. non debet teri & separari, ut superius feci, quanto plus animatur mercurius, tanto plus incineratur etiam per se solum, ut experientia didici.

De præparatione terræ.

Collige in sublimatione terras omnes mortuas, quæ nullo modo poterant sublimari, donec habeas vnā marcā aut librā, hāc reuerbera ad summam albedinem per triduum, tunc in aceto distillato quater, solue & coagula, tūc secundum Gebrū bene præparasti. Geber: Post quadriferam solutionem & coagulationem conuertitur in naturam salium & funditur absq̄ vitrificatione & mundatur à terra vulgi & superfluis, fitq̄ alba crystallina fusibilis & bene præparata. Morienus, mortificato terram & ipsa in calcem vertetur & ab

omni humiditate priuatam reuiuifica ipsam fluxilem redde & humiditatem restitue. Redde ergo terra aquam suam, donec secum figatur & misceatur quam terram solo igne dealbasti, eam sufficienter resisti.

De fermentatione & proiectione.

Recipe duas marcas auri puri & funde in tigillo, tunc proicias fertonem (quartam librae partem) unum dictae medicinae bene trita & statim absorbetur ab auro & fit unum cum eo: Tunc proicias iterum unum fertonem medicinae, ut duas marcas auri absintur, tunc tere & fortiore igne digere in puluerem rubicundissimum in modum minii: Proiciatur una pars, super centum partes lunae pura & erit aurum optimum.

Si autem per magnam sublimationem solutio & coagulatio iteratur plus tingit in infinitum. Pro albo fermentationem non indiget & una pars tingit 160 partes vix peris purgata in lunam perfectissimam.

Augmentum per sublimationem magnam quam diu est possibile, scilicet quando non potest amplius sublimari, augmentetur cum mercurio destillato, de quindecim diebus in quindecim dies, cum una lotone, igne lento, ut in restitutione animae,

*ma, sic & in infinitum. Crede quod pro una vice
poteris plus augendo apponere. sic tamen ut fixum
excedat volatile in quantitate & virtute.*

*Sit laus D E O omnipotenti in secula
seculorum Amen.*

F I N I S.

